



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. III. Asseritur impeccabilitas secundùm quid.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)

2. Suppono secundò. Cùm peccare nihil aliud sit, quam deficere ab ultimo fine, ideo peccabilitatem quoque, nihil aliud esse, quam defectibilitatem à DEO ut ultimo fine, & prima regula conducente ad ultimum finem. Quod dupliciter fieri potest, vel ut sit defectibilitas à DEO, ut ultimo fine supernaturali, qui est DEUS ut Author gratie in seipso intuitivè visibilis; vel à DEO, ut ultimo fine naturali, qui est DEUS ut Author naturæ abstractivè cognitione assequibilis.

3. Porro exclusio defectibilitatis à DEO ut ultimo fine supernaturali dicitur impeccabilitas simpliciter, quia cùm ratio ultimi finis naturalis sit subordinata ultimo fini supernaturali, hoc ipso quòd quis non possit deficere ab ultimo fine supernaturali, neque ab ultimo fine naturali, adeoque nullo modo possit deficere: estque proinde simpliciter impeccabilis. Exclusio verò defectibilitatis ab ultimo fine naturali tantum dicitur impeccabilitas secundum quid, quia cùm iste finis ultimus supra se habeat altiorem finem supernaturalem, eique subordinari possit; ideo fieri potest, ut quamvis aliqua natura circa ultimum finem naturalem sit indefectibilis, tamen adhuc ab ordine finis & regulae supernaturalis possit deficere.

4. Suppono tertio. Duplici modo posse contingere defectum & peccatum contra ultimum finem naturalem, directè vel indirectè. Directè fit, cùm peccatum ex specie actus & objecti repugnat honestati, vel præcepto naturali. Indirectè, cùm peccatum ex specie actus & objecti repugnat præcepto supernaturali, ex consequenti tamen etiam pugnat cum præcepto naturali, in quantum supposita elevatione naturæ rationalis in finem supernaturalem ipsa ratio naturalis dicitur, non esse violandum ordinem Charitatis supernaturalis, per quem bonum rationis perficitur. Quibus politis Scotus in 2. dist. 23. q. un. §. *Dico igitur*, existimat magis Authoritate S. Augustini l. 3. contra Maximum, c. 13. & S. Anselmi in l. cur DEUS homo c. 10. quam efficaciam rationis deduci, non posse dari creaturam simpliciter impeccabilem; Econtà Thomistæ sentiunt, ita concludendum esse etiam ex efficacia rationis.

§. II.

Excluditur impeccabilitas simpliciter.

5. **CONCLUSIO I.** *Implicat creatura rationalis ab intrinseco simpliciter impeccabilis.* S. D. hic a. 1. & q. 24. de Verit. a. 7. & Scotus in 2. dist. 23.

Probatum primò S. Scripturæ & SS. PP. auctoritate. Nam i. Timoth. 6. dicitur de DEO, qui solus habet immortalitatem, ubi Apostolus juxta interpretationem SS. PP. DEO soli tribuit immortalitatem, ut oppositam morti peccati, h. e. impeccabilitatem. Ex PP. verò Hieron. Epist. 146. ait: *Solus DEVS est, in quem peccatum non cadit.* Et August. l. 3. contra Maximinum. c. 12. *Cuiuscunque creaturae rationali præstat, ut peccare non possit, non est hoc natura propria, sed DEI gratia.*

6. Probatum secundò ratione: Quisquis est defectibilis in operando, est etiam simpliciter peccabilis: sed omnis creatura ex intrinseca ratione crea-

turæ est defectibilis in operando, ergo etiam ex intrinseca ratione est simpliciter peccabilis. Major patet ex notando secundo. Minor probatur primò. Modus operandi sequitur modum essendi, h. e. non potest aliqua natura habere perfectiorem modum operandi, quam sit perfectio & modus essendi, siquidem virtus operandi radicatur in modo essendi: sed omnis creatura ab intrinseco habet defectibilem modum essendi, ita, ut non minus sit annihilabilis, quam ex nihilo; ergo etiam habet defectibilem modum operandi.

Neque dicas. Hinc tantum probari Physicam non etiam moralem defectibilitatem in operando. Nam contrà est: quia defectibilitas in attingendo finem, est defectibilitas moralis; sed ex natura ratione omnis creatura rationalis habet defectibilitatem in attingendo finem: habet enim defectibilitatem in modo proprio operandi; sed modus proprius operandi creaturæ rationalis est operari propter finem: ergo creatura rationalis etiam habet defectibilitatem in attingendo finem.

Eadem minor probatur secundò. Agens indefectibile in operando, aut est ipsa regula operandi, aut immobiliter conjunctum cum regula dirigente in finem, sic enim (est exemplum S. Doctoris) contingit aliquando manum in sciendo describendo errare, quia ipsa non est regula, neque immobiliter conjuncta cum regula sciendi, vel scribendi, & ideo quandoque deviat à tali regula: atqui creatura rationalis nec est sua regula operandi, neque ipsi immobiliter conjuncta. Illa quippe sola voluntas est sua regula operandi, quæ non habet superiorem, ut est voluntas Divina: junctio quoque naturæ rationalis cum regula supernaturali & voluntatis create cum Divina manente in finem supernaturalem sit secundum potentiam obedientialem; adeoque non potest ipsa esse naturaliter & immobiliter debita.

Probatum tertio. Si quæ creatura esset per naturam simpliciter impeccabilis, tunc ipsi deberetur omnia principia rectè operandi in ordine supernaturali: sed hoc implicat; jam enim non essent principia supernaturaliter operandi, si non transcenderent omnem ordinem & exigentiam naturæ. Rursus tali creaturæ tanquam immobiliter conjunctæ cum fine supernaturali conaturaliter deberetur gratia consummata, & lumen gloriæ, & esset ejusmodi creatura substantia supernaturalis, quæ omnia manent refutata ex dictis i. Teatatu de Visione. Ex quibus colliges assertorem D. Thomæ non minus pondus habere à ratione, quam ab auctoritate.

§. III.

Afferitur impeccabilitas secundum quid.
CONCLUSIO II. *Potest dari creatura ab intrinseco peccabilis per ordinem ad finem ultimum supernaturalem; imò Angeli de facto hoc modo sunt impeccabiles.* S. D. hic ad 3. & q. 16. de malo a. 3. in c.

Ratio est primò. Creatura rationalis per actus dilectionem ex necessitate naturæ semper conjuncta cum ultimo fine, non potest directè deficere ab illo, & consequenter est circa illum impeccabilis; atqui potest aliqua creatura per actus dile-

lectionem ita esse conjuncta cum ultimo fine, ut illum necessario amet necessitate non solum specificationis, sed etiam exercitii, imò de facto Angelos ita DEUM naturali dilectione diligere supra disp. 29. A. 2. vidimus: ergo.

Ratio est secundò. Ita se habet Angelus ad prosecutionem finis & beatitudinis naturalis in particulari, sicut se habet homo ad prosecutionem finis & beatitudinis naturalis in communi; sed homo necessitatur saltem quoad specificationem ad ejus prosecutionem, ita ut non possit ab illo deficere; ergo & Angelus hoc modo necessitatur ad prosecutionem finis ultimi, suaque beatitudinis naturalis in particulari. Major probatur. Nam sicuti hominis cognitio incipit ab universalibus, idèque homo primitus determinatur solum ad prosecutionem finis ultimi in universali; sic contra cognitio Angeli incipit à singularibus, idèque determinat ad amorem finis ultimi in particulari.

Ratio est tertio. Ut Angelus directè peccaret contra præcepta, & finem naturalem, deberet habere quemdam errorem & inconsiderationem immediate circa finem & legem naturalem, ut sup. ex Tract. de Vir. & pecc. sed hoc dici non potest: ut patet ex sequentibus: ergo.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

Objectiones primò. Inducere alium ad peccandum contra legem naturalem, est peccare directè contra legem naturalem: sed demones expellunt homines in peccata contra naturam: ergo.

Respondeo distinguendo majorem. Inducere alium ad peccandum contra legem naturalem ex odio DEI ut ultimi finis naturalis, est directè contra legem naturalem, concedo, ex odio DEI ut finis supernaturalis, nego majorem. Sed demones ita inducunt homines ad peccatum ex odio DEI ut finis ultimi supernaturalis, concedo; naturalis, nego minorem & consequentiam. Sic enim videtur, tantum indirectè, materialiter & mediatè peccare contra legem naturalem, in quantum peccare contra legem supernaturalem est contra bonam rationem, quod per legem naturalem præcipitur.

Objectiones secundò. Sequeretur, quòd si DEUS condidisset Angelum in statu puræ naturæ sine elevatione in finem supernaturalem, quòd tamen

per observantiam præceptorum naturalium nihil potuisset mereri: consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur. Ut Angelus mereretur per observantiam præceptorum, tunc ista deberet ipsi esse libera, sed in statu puræ naturæ observantia præceptorum non esset ipsi libera, cum transgressio illorum ipsi foret impossibilis propter impeccabilitatem circa finem naturalem.

Respondeo negando sequelam & probationem distinguendo: observantia præceptorum deberet ipsi esse libera libertate exercitii & contradictionis, concedo, specificationis & contrarietatis, nego. Ergo, inquis, potuisset non observare illa præcepta, sed non observare est illa transgredi, & peccare,

Respondeo negando sequelam. Potuisset enim in illo statu non facere rem præceptam tantum præcisivè, & in sensu diviso præcepti, non etiam contrariè aut privativè, & in sensu composito præcepti; atqui non observare præceptum facit sensum compositum & privativum. Videntur, quæ in Tract. de incarn. de libertate & merito Christi non obstante ipsius impeccabilitate dicuntur.

Objectiones tertio: Posset Angelus lumine naturali cognoscere finem supernaturalem, quod est absurdum: Sequela probatur. Angelus lumine naturali cognoscit se esse peccabilem: sed non cognoscit se peccabilem circa finem naturalem; ergo circa finem ultimum supernaturalem, & consequenter illum lumine naturali cognoscit.

Respondeo distinguendo sequelam. Posset naturaliter cognoscere finem supernaturalem sub confusa & communi ratione, concedo, sub aliqua distincta & particulari ratione, nego.

Objectiones quartò. Sequeretur ex nostra secunda assertione, quòd Angelus in pura natura conditus foret eò ipsò simpliciter impeccabilis; consequens est contra primam assertionem: ergo & antecedens. Sequela probatur. Non posset peccare contra finem naturalem, neque directè, ut probant nostræ rationes; neque indirectè, cum non esset subordinatus fini supernaturali, ratione cujus subordinationis solummodo potest indirectè peccare contra finem ultimum naturalem: neque contra finem supernaturalem posset peccare, quippe ad quem non est elevatus.

Respondeo negando sequelam; & dico, adhuc posse indirectè peccare contra ultimum finem naturalem, quia haberet potentiam & capacitatem obedientialem etiam in statu puræ naturæ, ut elevaretur ad finem ultimum supernaturalem,

ARTICULUS II.

Utrum Angelus potuerit peccare in primo instanti suæ creationis?

SUMMARI A.

1. Angelus de factò in primo instanti non peccavit.
2. Sed neque in ullo statu naturæ peccare tunc potuit.
3. Primus actus Angeli adscribitur DEO, ut causæ specialiter applicanti.
4. Evasio Adversariorum depellitur.
5. Prima viventis operatio tribuitur generanti.
6. Primum dictamen prædicum Angeli non potuit esse defectuosum.
7. Disparitas inter primum instans Angeli, & hominis perveniens ad usum rationis.
8. Angelus in primo instanti non habuit omnia requisita ad peccandum.
9. Quomodo plus requiratur ad merendum, quàm demerendum?

10. Quo-